



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 72. Variæ ejusdem Sixti V. Pontificis Bullæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1588.

§. LXXII.

Variae ejusdem Sixti V. Pontificis Bullæ.

Bull. p. 694.
& seq.

I. die prima Augusti Sixtus V. instituit Archivia Scripturarum in quibuscunque civitatibus & locis status ecclesiastici, Alma Urbe, & Bononia exceptis: insuper officium Regentis dictorum Archiviorum cum jurisdictionis, & privilegiorum assignationem erexit.

II. Die vigesima septima Augusti sua Constitutione inhibuit, ne Canonatus, & præbendæ, ac dignitates Ecclesiæ Valentinae spuris, aut illegitime natis, quamvis legitimatis, & natalibus constitutis, conferantur.

III. Eadem quoque die novo diplomate eximebat Congregationem Monachorum Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti a jurisdictione Sacristæ Hospitalis B. Mariæ Virginis Annuntiatae Neapolitanae, cui Leo X. dudum eam univerat.

IV. Exstat ejusdem Constitutio die sexta septembris edita, qua Pontifex Judicibus caussarum, & Hospitali pro recipiendis, pieque alendis Mendicis per Urbem vagantibus jurisdictionem attribuit, simulque extendit exemptionem eis concessam auctoritatemque administratorum plurimum ampliavit.

V. D.

V. Die vigesima nona Octobris suo diplomate poenas statuebat contra foeminas abortum, quovis modo procurantes, aut sterilitatis potiones dantes, vel sumentes, eisque auxilium, consilium, sive consensum ad id praestantes.

Sæcul. XVI.
A.C. 1588.

§. LXXIII.

Festivitas sancti Placidi, ejusque Sociorum a Pontifice instituta.

Postea præcipue hujus Pontificis jussu Festivitas sancti Placidi, & sociorum ejus ex Ordine sancti Benedicti ritu duplici in Messanenfi Siciliae Diocesi celebrabatur; hanc enim in rem Sixtus V. die decima tertia Novembris diploma ediderat, in quo communi illius Provinciae traditioni, necnon historiae innititur, quæ de inventione Reliquiarum horum sanctorum recensetur: refertur enim, quod tunc, dum celebris Abbatia sancti Joannis Baptistæ Messanensis a Serracenis destructa, & postea a Normanis sub sancti Placidi invocatione fuerat restaurata, ibidem anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo octavo præfati sancti Corpus, prout etiam Euty-chii, & Victorini Fratrum illius, necnon Flavie Sororis, ac triginta aliorum Martyrum ejusdem Ordinis Religiosorum Reliquiæ fuerint inventæ,

Bull. Const.
88. p. 703.
Thierry
Ruin. apol.
pag. 166.
174. &c.

Hist. Eccles. Tom. L.

S s

quæ